

• comunis Parme vel dominorum de la Scala cum effectu et expe-
 • dite et sine interdicto vel molestia alicujus, floreni centum de
 • auro. Et domino Andreasio de Rubeis eodem modo dentur floreni
 • aurei quinquaginta omni mense donec vixerit, vel suo nuncio, cum
 • effectu et expedite, ut supra dictum est de Rolando, et sic promi-
 • sit et convenit dictus megister Franciscus procurator dicti domini
 • Mastini procuratorio nomine pro eo et pro domino Alberto fratre
 • suo, ut supra est expressum.

• Item quod dominus Vivarius de Vivario omnia castra, loca
 • et possessiones, que et quas ipse habebat et possidebat, seu que
 • ejus nomine tenebantur et possidebantur, tam in districtu et terri-
 • torio vincentino quam veronensi et alibi ante tempus seu tempore
 • invasionis et novitatis predictæ per eum facte in burgis Vincentie
 • et que fuerunt majorum seu progenitorum suorum, habeat, teneat
 • et possideat nunc et deinceps, libere et quiete et sine questione,
 • gravamine, molestia aut inquietatione aliqua dominorum de la
 • Scala aut comunium Vincentie vel Verone seu aliarum quarum-
 • cumque personarum cujuscumque conditionis existant. Ita tamen
 • quod vicariatus seu rectoria pedimontis vincentini districtus con-
 • cessa eidem domino Vivaro per dominum Mastinum de la Scala,
 • omnino in predictis non intelligatur, domus vero et alia bona
 • eiusdem domini Vivarii extantes et extantia in civitatibus vel
 • burgis Vincentie vel Verone possint per ipsum dominum Viva-
 • rium, seu per factores ejus vel nuncios, ad suum comodum et uti-
 • litatem locari, alienari et vendi pro libito voluntatis, et dispositio-
 • nis ejusdem, non obstantibus aliquibus statutis, reformationibus,
 • consiliis, ordinamentis, preceptis vel aliis factis vel faciendis in
 • contrarium loquentibus.

• Item quod dictus dominus Vivarius bona ac possessiones
 • ejusdem et majorum et antiquorum suorum et omnes sui labora-
 • tores et habitatores ratione et occasione ipsarum possessionum
 • et bonorum sint exempti, liberi et immunes, et exempta libera et
 • innunita a dominio de la Scala et a comunibus Vincentie et